


**Ad Excellentissimam Commissionem Cæsaream Ac Perquam Gratosam Imperii
Visitationis Deputationem ... : pro Clementissime decernendis Promotorialibus
ad sacram Imperialem Cameram ...**

[Deutschland], 1774

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1735993026>

Druck Freier  Zugang





Contenta

1. Prüfung der Vor schläge etc. 1772.
2. An eine kaiserliche Commission etc. (1772.)
3. Zur Prüfung der Vor schläge. 1773.
4. Entwurf zur Prüfung der Vor schläge. 1773.
5. An das Publikum. 1773.
6. Gegengewisheit an das Publikum. 1773.
7. Auszug der Kräfte- Handlungen. 1773.
8. Ad commissionem caesaream. 1774.
9. Gründliche Parowasprung des Kammergerichts. 1774.

E. b. II. 2. e.
2024^o


2.)

3.

73.

2.

.e.
240



AD
EXCELLENTISSIMAM
COMMISSIONEM
CÆSAREAM

AC
PERQUAM GRATIOSAM
IMPERII VISITATIONIS
DEPUTATIONEM

Humillimæ querelæ, & supplicatio Mandatarii
Celsissimi Domini Principis & Episcopi
Leodiensis, nec non trium Ordinum Patriæ,

pro

Clementissime decernendis Promotorialibus ad
facram Imperialem Cameram, ut omnes contra Privilegia Cæsarea
decreti Processus iterum cassentur & ad Judices competentes
Leodienses pro Complemento Justitiæ remittantur,
nullique amplius contra dicta Privilegia
deinceps concedantur.

Cum Adjunctis
sub Lit. A. usque I. inclusive.

Præf. d. Maji 1774.

Ltus. Haas.

AD
EXCELLENTISSIMAM
COMMISSIIONEM
CAESAREAM
AC
PER QUAM GRATIOSAM
IMPERII VISITATIONIS
DEPUTATIONEM

Inuicem quere, & supplicatio Mandatum
Celsissimi Domini Principis & Episcopi
Leodiensis, nec non trium Ordinum Paris,

pro
Clementissime decernendis Promotorialibus ad
sacram Imperialem Camera, ut omnes contra Privilegia Camera
dicti Procellus iterum cassentur, & ad iudices competentes
Leodienses pro Complemento iustitiae remittantur,
nullius amplius contra dicta Privilegia
deinceps concedantur.

Cum Adjunctis
sub Lit. A. usque I. inclusiue.

Paris. d. Maii 1774.

Luce. Haas.

Excellentissima Commissio Cæsarea

Perquam Gratiōsa Imperii Visitationis Deputatio!

Infra scriptus Principis Episcopi ac Trium ordinum Patriæ Leodiensis Mandatarius deducturus, quot- & quanta tum suis Principibus, cum & Patriæ Judicibus, subditis ac incolis, illata sint, continuoque per *Privilegiorum*, a Divis Imperatoribus dictæ Patriæ Leodiensi benignissime concessorum, *inobservantiam seu transgressionem*, a sacra Imperiali Camera inferantur gravamina, quæ sequuntur, humillime subjiciet.

§. 1.

Cum per humillimum huncce querimonialem Libellum nihil aliud desideretur, quam ut Imperialis Camera juxta dictorum privilegiorum formam & tenorem, demandatam illis exercent jurisdictionem, operæ prætium erit, ut paucis dicatur, *qua ratione & quo tempore hæc privilegia fuerint impetrata, & quid contineant*, quo ipso omnis gravaminum materia ob oculos posita erit.

§. 2.

Ex comitiis generalibus Principis & statuum Leodiensium anni 1516. palam fit, quod eadem *Erardi a Marcka* S. R. E. Cardinalis Episcopi & Principis Leodiensis propositio, impetrandi ab Imperatoribus privilegia, eadem constituendi Consilium ratio fuerit.

§. 3.

Impetranda si quidem privilegia in iis comitiis statuit Princeps, & constituendum Consilium ex Ecclesiasticis, Nobilibus, aliisque, tam juris, quam consuetudinum peritis, ad quod a scabinis Leodiensibus appellaretur in omnibus causis, in quibus ad imperialem Cameram non appellari decrevisset Imperator, & similiter in omnibus aliis causis, in quibus partibus se gravatas sentientibus videretur expedire.

Et eam huic Consilio attribuendam esse ab Imperatore authoritatem, quam Consilio suo Imperiali seu Camerae impertitur, ut coram dicto Consilio Leodiensi rite & legitime ordinato lites eodem modo & forma instruerentur & finirentur, quibus coram Judicibus Imperii instrui & fini solent, ut cuncta hæc fusius patent ex adjuncto sub *Lit. A.*

§. 5.

Juxta hanc Principis & Statuum Patriæ Leodiensis mentem Maximilianus I. Imperator, anno 1518. 24. Junii tria privilegia concessit, quorum primo vetuit, *ne immediate ad Imperatorem ejusve consistorium appellaretur, sed gradatim & primum ad Episcopum ejusve Consilium.*

§. 6.

Deinde statuit idem Imperator, quod processu legitime instituto, & per Consilium prout Juris deciso, appellare volens ad Imperatorem seu ejus consistorium, teneatur intra decendum post sententiæ promulgationem coram Episcopo, seu ejus consilio juramentum solemniter subire, quod non malitiose, nec subterfugii, aut dilatandi judicii, adversariumque expensis gravandi causa appellaverit, sed appellationem ex justa causa prosequi velit; nec non teneatur appellans cautionem idoneam præstare de expensis, damnis & interesse in euentum succubitionis, desertionis, seu non legitimæ prosecutionis, adversario refundendis, adjuncta clausula irritante processuum, in defectum præmissorum, aut alterius eorum.

§. 7.

Deinde Imperator, a quibuscumque decretis & interlocutoriis sententiis, quæ vim definitivæ non obtinent, item in judiciis possessoriis, & sententiis in possessorio latis, in causis injuriarum & causis levioribus, quæ summam sexcentorum in realibus & immobilibus, & trecentorum in mobilibus & personalibus non attingunt, vetat appellationem ab Episcopo, seu ejus Consilio, ad se ejusve successores, aut consistorium imperiale, ad quod in dictis causis levioribus appellatio non datur, nisi capitalis summa in prima actione, in bonis realibus & immobilibus summam sexcentorum, in bonis vero mobilibus & personalibus trecentorum florenorum Rhenensium, aut verum eorum Valorem excedat.

§. 8.

Decernitque imperator, sententias Consilii, in omnibus ejusmodi causis perpetui roboris habere firmitatem, sublato omni appellationis, provocationis, recursus, vel supplicationis, seu alterius cujuslibet subterfugii obstaculo, subjuncta iterum clausula irritante processuum quorumlibet præmissis contrariorum, etiam coram Imperiali Consistorio.

§. 9.

Secundum privilegium Maximiliani I. est *de non evocando subditos Ecclesiæ & patriæ Leodiensis*, in quacumque causa, in prima instantia
extra

extra patriam, & a cognitione, five ordinarii sui judicis tribunali trahere & cum inhibitione ejusmodi evocationum, arrestationum, impignorationum, repræfaliarum, cautionum & promissionum, earum occasione forsitan extortarum.

§. 10.

Tertio Privilegio idem Imperator Principem Episcopum & Ecclesiam Leodiensem in suam ac Imperii protectionem assumit, omnesque libertates, donationes, confirmationes, approbationes, exemptiones, concessionem, sententias, definitiones, privilegia, indulta, gratias, statuta, mores, usus, consuetudines &c. nec non quascumque possessiones, dominia, bona, jura, jurisdictiones, merique & mixti Imperii ac publicæ potestatis functiones &c. quomodolibet concessas & indultas, quæ in præsentiarum Princeps obtinet, & ipse vel Successores ejus legitime obtinebunt, confirmat cum clausulis generalibus & urgentissimis.

§. 11.

Trina hæc Maximiliani I. Privilegia non secus ac alia, de quibus mox sermo erit, ad longum, duplici lingua latina & gallica, relata leguntur apud M. G. de Louvrex in sua recollectione Edictorum, Concordatorum &c. Patriæ Leodiensis, nec non Privilegiorum a Divis Imperatoribus eidem Patriæ benignissime concessorum Part. I. cap. 5. §. 1. 2. & 3. novissimæ editionis fol. 282. & seqq. N. 5. & seqq.

§. 12.

Carolus V. imperator anno 1521. Junii 27. prærecensita Maximiliani I. avi sui privilegia confirmavit auxitque, ut primo, *subditi in quacunque causa in prima instantia extra Patriam evocari, aut ad aliud tribunal, præter ordinarium & sui domicili, trahi non possint.*

Louvrex fol. 290. & seqq.

§. 13.

Secundo, ut nee arresta in rebus, bonis, aut corpore interponi, repræfaliæque, aut impignorationes contra ipsos concedi possent.

§. 14.

Tertio, ut nullæ appellationes a quibuscumque sententiis judicum, seu justitiarum majorum, vel inferiorum, censualium, feudaliū vel allodialium, aut aliarum quarumcumque dictæ patriæ possint ad ipsum, seu ejus Successores Romanorum Reges vel Imperatores, eorumve Consistorium, *Cameram Imperialem*, aut alios commissarios datos vel dandos interponi, devolvi, aut per viam supplicationis vel quærelæ, seu alias quomodolibet introduci possent, nisi primum & gradatim tales appellationes ad Consilium Episcopi fuerint devolutæ, introductæ ac definitive decisæ.

B

§. 15.

§. 15.

Quarto, quod a dicto Consilio non licent ulterius appellare, nisi in certis causis taxam determinatam excedentibus.

§. 16.

Quinto, & ut excederent, non nisi mediantibus certis solemnitatibus in primo privilegio Maximiliani I. expressis.

§. 17.

Sexto, taxam sexcentorum florenorum aureorum, quam causæ excedere debent in bonis realibus & immobilibus, juxta privilegium Maximiliani I., & trecentorum in personalibus & mobilibus, ut appellationi ad Cæsarem, ejusve consistorium locus esset, auget & duplicat ad mille ducentos in realibus & immobilibus, & ad sexcentos in mobilibus.

§. 18.

Septimo confirmat singula privilegia, indulta, gratias, libertates, donationes, statuta, mores, usus & consuetudines, nec non quascumque possessiones, jurisdictiones &c. Episcopis, Ecclesiæ, Civitati, oppidisque & aliis locis dictæ Patriæ Leodiensis, illorumque subditis ac incolis, conjunctim vel divisim, usque ad hæc tempora quomodolibet concessas & indultas, concessa & indulta & quæ alias in præsentiarum juste obtinent, seu præsentibus & Successores obtinebunt.

§. 19.

Octavo Carolus V. Imperator vult & decernit cæteras, in privilegiis Maximiliani I. contentas clausulas, decreta atque capitula in suo robore permanere.

§. 20.

Nono adjicit clausulam irritantem quorumlibet in contrarium gerendorum etiam coram imperiali consistorio, aut alio quolibet superiore.

§. 21.

Decimo permittit & indulget Imperator, ut consilium subditi & incolæ Patriæ Leodiensis ad parendum nullatenus teneantur, si quid contra jubeatur, sed illis impune contravenire & privilegiorum beneficio gaudere possint.

§. 22.

Undecimo concedit tandem, ut sententias & decreta vigore privilegiorum lata vel ferenda, Consilium omnibus modis, viis & formis melioribus ad instar consistorii Imperialis, seu alias quomodolibet executioni debitæ demandare possit.

§. 23.

§. 23.

Huic Privilegio aliud adjecit Carolus V. Imperator anno eodem, nempe 1521. Julii 27. quo iterum jubet.

Louvrex fol. 205. & seqq.

§. 24.

Primo ut omnes & singuli subditi coram suo proprio iudice, Tribunali, ac iustitia ordinaria sæculari vel spiritali, debeant tractari & ibi juri stare.

§. 25.

Secundo, ut juxta secundum Privilegium Maximiliani I. a se Carolo V. jam confirmatum, actores forum ordinarium reorum sequi teneantur.

§. 26.

Tertio, ut conservatores aut alii quicumque iudices non possint cognitionem, jurisdictionem aut executionem in causis profanis, realibus vel feudalibus suscipere vel exercere. Sic ut hoc Privilegium de non evocando ter concessum sit, semel per Maximilianum I. & bis per Carolum V. Cæsares.

§. 27.

Hoc eodem suo Privilegio Carolus V. concedit facultatem redimendi reditus quomodolibet debitos super domibus universis, aut areis, vel locis vacuis in civitate & oppidis Patriæ Leodiensis sitis; & super domibus integris & consummatis delegandi super alio sufficienti contrapignore tribus leucis non distante, alios reditus ejusdem naturæ & qualitatis & quoad census super domibus constitutos, concedit facultatem, illos perpetuo redimendi indistincte, mediante restitutione pretii recepti, nempe ex venditione, etsi communem æstimationem excedant, mediante restitutione communis pretii.

§. 28.

Præterea inhibet Imperator, Monasteriis, Ecclesiis & locis piis extra Patriam Leodiensem constitutis, omnem omnino quolibet titulo bonorum immobilium acquisitionem, monasteriis autem in Patria Leodiensi sitis vetat duntaxat, ad causam Religiosorum vel Religiosarum, in illis professorum vel professorum succedere; acquisitionem vero bonorum immobilium titulo emtionis monasteriis, Ecclesiis & locis piis in patria Leodiensi sitis non vetat, sed permittit venditoribus & eorum hæredibus successoribus perpetuo redimere, mediante restitutione pretii recepti, quatenus legale & excessivum non fuerit, alioquin communis pretii, & secundum consuetudinem Patriæ currentis, salva tamen & reservata Episcopo & Capitulo pro tempore circa hoc dispensandi facultate, quam ex subsistentibus rationibus, & aliquo bono respectu conjunctim faciendi potestatem Imperator concedit. Deinde dat facultatem nobilibus & aliis, eorumque hæredi-

bus & successoribus redimendi & luendi bona feudalia Venditionis aut al-
terius cujusve alienationis titulo, a tempore destructionis civitatis, in mo-
nasteria collegia aliasque ecclesias & pia loca translata.

§. 29.

Insuper Carolus V. Imperator præactas & reliquas omnes alias ordinationes & constitutiones in ultima Diata patriæ in civitate Leodiensi undecima Julii anni 1521. per Dominum Episcopum & Status factas, integraliter observari debitæque executioni demandari, præsentis edicto vult, declarat & districte mandat, ut non liceat alicui hominum cujuscumque status, gradus aut conditionis existat, dictis & aliis statuum, imo potius suis, hoc est, Cæsareis ordinationibus, statutis, voluntati, aut declarationi directe vel indirecte quocumque modo, colore vel ingenio contravenire, alioquin irritum esse, quod agitur.

§. 30.

Præactas inter constitutiones in Diata seu comitiis Patriæ anno 1521. Julii undecima factas, una reperitur, concernens erectionem Consilii ordinarii, per quam hocce *Consilium constituitur ad conservanda & exsequenda omnia Privilegia, constitutiones ac laudabiles Patriæ consuetudines, nec non ad brevem & rectam justitiam administrandam* in omnibus causis
Lit. B. coram illo intentatis, pro ut fusius patet ex adjuncto sub *Lit. B.*

§. 31.

Cui Consilio dat & concedit Imperator plenam atque omnimodam facultatem de præmissis omnibus & singulis cognoscendi, illaque & pœnas supra dictas executioni debite demandandi, & fiscum pro illarum executione, si opus fuerit, deputandi, dictasque ordinationes & constitutiones una cum Statuum ante dictorum deputatione interpretandi.

§. 32.

Quæ tria Privilegia Maximiliani I. & duo Caroli V. Imperatorum tres Patriæ ordines solenniter convocati acceptarunt, & firmiter observare, & non nisi cum vita amittere velle, declararunt anno 1522. Julii quinta, idque in loco capitulari Ecclesiæ Cathedralis, in quo tres ordines seu eorum deputati convenerant, quemadmodum constat ex
Lit. C. adjuncto acceptationis instrumento sub *Lit. C.*

§. 33.

In horum Privilegiorum & statutorum executionem fiscalis imperii anno 1529. Decembris septima, mandatum executivum a Camera imperiali spiræ impetravit, adjecta adversus transgressores seu contraventores pœna, sive ecclesiasticos, seu seculares, Episcopali, ducali aut alia majori autoritate fungentes, eorumque complices, auxilium & consilium præbentes, appellationibus, seu oppositionibus non obstantibus quibuscumque.

§. 34.

§. 34.

Et Carolus V. Imperator anno subsequente 1530. Octobris vigesima, secutus hujus mandati executivi a Camera Imperiali nomine suo per Fiscalem impetrati tenorem, postquam in hoc Privilegio Maximiliani I. suaque priora Privilegia confirmavit, & denuo ac iterum renovavit quasi de verbo ad verbum eorum tenores, in hoc novissimo essent expressi, sicque plenam atque omnimodam facultatem cognoscendi Consilio ordinario concessam, Privilegio secundo anni 1521. Julii vigesima septima de contraventionibus Privilegiorum, pro ut mandato executivo Imperialis Camerae continebatur, decrevit procedendum adversus contraventores, vel transgressores Privilegiorum, ecclesiasticos vel seculares quacumque etiam episcopali, ducali, aut majori auctoritate fungentes eorumque complices, auxilium vel Consilium præbentes: appellationibus & oppositionibus quibuscunque non obstantibus.

Louvrex fol. 307. & seqq.

§. 35.

Adjecitque Imperator, ut juxta immemoriam consuetudinem a *Sententiis in materia criminali latis per scabinos Leodienses, & a quibuscunque decretis capturæ per judices locorum, appellatio non esset.*

§. 36.

Cornelio a Bergis Episcopo & Principe Leodiensi Episcopatu cedente, & in ejus locum suscepto *Georgio Austriaco*, obtinuit hic a Carolo V. Imperatore anno 1545. Julii 20. Privilegiorum a Maximiliano I. & ab ipso concessorum confirmationem.

§. 37.

Hocce Privilegio priorum omnium confirmatorio interdictum de non appellando a sententiis interlocutoriis sic interpretatur Imperator, ut procedat generaliter in omnibus illis *interlocutoriis, quæ vim principalis negotii non habent, quemadmodum sunt interlocutoriae competentis judicis, pronuntiationis causarum ad Justitiam secularem remissionis, & similes nihil circa negotium principale definientes.*

Louvrex fol. 311. & seqq.

§. 38.

Præterea dat & concedit Imperator dicto Episcopo in præmissis, nec non circa *admissionem revisionis in causis appellationem non recipientibus, ceterisque omnibus bonam politiam concernentibus, liberam potestatem cum Consilio suorum Statuum statuendi, ordinandi & disponendi, prout illis justum atque expediens visum fuerit.*

§. 39.

Præfata Privilegia Maximiliani I. & Caroli V. Imperatorum de 1518. 1521. 1530. & 1545. una cum mandato executivo Camerae spirensis

C

anni

anni 1529. cum anterioribus, Principis cum consensu, Statuum suorum ordinationibus in comitiis generalibus Statuum Patriæ anno 1549. Novembris 12. & aliis anno 1550. Julii 3. a Statibus Patriæ iterum unanimiter acceptata sunt, ut constat ex resolutionibus adjunctis sub *Lit. D. E. & F.*

§. 40.

Atque sequentibus comitiis anno 1553. Aprilis 11. consenserunt Status in necessarium pecuniæ subsidium ad Privilegiorum conservationem, delegatis tribus personis, quæ in contraventores inquirerent, ac omni modo ac rigore eos puniri curarent, sicut patet ex resolutione adjuncta sub *Lit. G.*

§. 41.

In eandem curam conservationis Privilegiorum imperialium incubuerunt tres Status Patriæ Leodiensis in Comitiis generalibus anni 1557. Aprilis 6. adjeceruntque mandatum quæstori exponendi sex florenorum millia in eorum defensionem, *providideruntque insuper, ne a decretis Viginti-Duum-Virum & deputatorum Principis ad Consistorium imperiale appellaretur*, uti videre est ex resolutione adjuncta sub *Lit. H.*

§. 42.

Est autem Tribunal Vigintiduum virorum a multis jam retro sæculis apud Leodientes institutum ad Reipublicæ quietem adversus violentias, tum privatas, tum publicas, corruptosque judices, cujus cognitio ac potestas versatur circa jus possessorum incidenter, principaliter vero circa vim, violentiam & res non jure ablatas aut extortas, vimque bonorum raptorum aut ablatorum, cæterasque injurias pænali judicio cærcet. A cujus quidem judicii sententiis nullo unquam pacto appellari consuevit, nisi quod hætenus certi judices vel cognitores auctoritate Episcopi Leodiensis pro tempore existentis, ac Statuum & ordinum auctoritate & consensu deputati existant, ad quos provocatio fit, & qui latas Sententias ex iisdem actis revidendi, revocandi, reformandi & confirmandi jus atque auctoritatem habent, a quorum deputatorum & revisorum Sententiis, interlocutionibus & decretis ex longa & inveterata consuetudine, quæ est conformis juri, non licet appellare, idque ideo factum, ut hac ratione temeritas & audacia illorum, qui ea, quæ sibi existimant deberi, non judicis ordinaria actione, sed propria & privata auctoritate extorquent atque reposcunt, ac aliis vim adhibent, competenti remedio, summario scilicet & compendioso judicio cærcantur.

§. 43.

Verum cum plures litigantes, cupiditate protelandarum litium impulsæ, hujusmodi laudabilem usum & consuetudinem infringere ac tollere conati, a prædicti Tribunalis Sententiis ad Consilium Episcopi vel etiam ad suprema imperii Dicaasteria appellationem interponere ausi fuerant,

§. 44.

§. 44.

Robertus Episcopus & Princeps Leodiensis, anno 1562. Novembris 28. Ferdinando I. Imperatori humillime supplicavit, ut dignaretur præmemoratum usum, morem & consuetudinem auctoritate sua imperiali laudare, approbare, & confirmare, & pro majori securitate eidem Episcopo ac Ecclesiæ Leodienfi ac subditis ejus de novo ejusmodi Privilegium & indultum ex imperialis suæ Potestatis plenitudine concedere, constituere & decernere.

Louvrex fol. 322. & seqq.

§. 45.

Cum autem animadverteret Imperator, has Roberti Episcopi & Principis Leodiensis humillimas preces ab æquitate & ratione non esse alienas, sed potius pertinere ad inhibendam confusionem litium & perverforum hominum temeritatem cœercendam, atque etiam ad utilitatem ipsorummet subditorum & litigantium spectare, ejusdem Episcopi humillimis precibus clementissime duxit annuendum, atque idcirco, ex certa sua scientia, animo bene deliberato, ac sano accedente Consilio, auctoritate sua imperiali & de ejusdem potestatis plenitudine, præfato Episcopo Leodienfi ac ejus successoribus, ipsique Ecclesiæ Leodienfi & subditis illius præmemoratum usum, *morem & consuetudinem non provocandi seu appellandi a supra dictis deputatis seu Revisoribus in causis possessorii & violentiarum, Patentibus suis de dicto anno 1562. Novembris 28. gratiose laudavit, approbavit, confirmavit & innovavit*, cum clausula irritante quorumlibet processuum, etiam coram Imperiali Camera, præmissis contrariorum.

§. 46.

Anno 1571. Julii 21. Maximilianus II. præmemorata Maximiliani I. & Caroli V. Imperatorum Privilegia omniaque in eis contenta confirmavit & ampliavit.

Louvrex fol. 318. & seqq.

§. 47.

Sed cum sinistris quorundam interpretationibus, aliisque modis Privilegia de non appellando sæpissime eluderentur, ut haud minoris molestiæ esset victoribus de Valore rei in Camera Imperiali disceptationem subire, quam super ipsa principali materia iudicium suscipere;

§. 48.

Ideo Imperator statuit, quod si excessus summæ ad appellandum requisitæ, ex ipsa Sententia non appareret, appellantes tenerentur excessum ejusmodi scripto deducere, ac habito respectu, non ad propriam ipsorum æstimationem, sed ad verum legalemque Valorem, per legitimas probationes, non autem juramento probare, nec Episcopus, aut Consilium Episcopale appellationibus deferre, aut a suarum sententiarum executione desistere prius tenerentur, quam ejusmodi probatione impleta prædicti Valoris excessus declaratus foret.

C 2

§. 49.

§. 49.

Et ut censuum quoque ac reddituum & aliarum præstationum annuarum certa æstimatio haberetur, Imperator ulterius declaravit, causas omnes five realiter five personaliter motas & intentatas, in quibus de censu vel redditu annuo & perpetuo sexaginta florenorum Rhenensium aureorum, aut alterius cujuscumque speciei præstatione annua, fundove proventui annuo sexaginta aureorum æquivalente ageretur, sub dicta appellationis prohibitione comprehendi.

§. 50.

Præterea Litigatorum ac aliorum asserentium, appellatione remota, non esse prohibitum, dicere de nullitate, perversitatem ac malitiam refrenaturus, declaravit Imperator, quod deinceps prætextu nullitatum, aut defectus ordinationis solemnitatum processus & ordinis judicarii, litigatoribus via supplicationis, aut querelæ ad se suosque successores, aut imperialis cameræ suæ judicium permissa non foret; sed quod ejusmodi nullitatum causæ omnes, vel coram ipsis iudicibus per quos, aut coram quibus nullitas admissa prætenderetur, vel coram Episcopatus ordinariis, ex jure scripto vel consuetudine competentibus cognoscerentur ac definirentur.

§. 51.

Concessit tandem altæfatus Imperator, ut in causis de jure, vel non jure fodiendi & carbones, vulgo bullas nuncupatas, eruendi, censuumque & præstationum ratione juris illius fodiendi, aut usu Rivulorum subterraneorum in aquis exonerandis debitorum ageretur, & aliis quibuscumque jus artem & rationem carbonum eruendorum, ipsasque fodinas & fodinarum opus quomodolibet concernentibus, seu quæ de jure vel consuetudine ad juratorum rei carbonariæ cognitionem & jurisdictionem pertinent, adversus sententias Episcopi, seu præfati Consilii Episcopalis, nulli omnino appellationi vel nullitatum querelæ locus foret, sed appellatio, sicut & nullitatum querelæ penitus interdictæ esse deberent, etiamsi Valor seu æstimatio hujusmodi causæ præactas summas excederet.

§. 52.

Hæc omnia Privilegia a Divis Imperatoribus Maximiliano I. Carolo V. Ferdinando I. & Maximiliano II. Patriæ Leodiensi sic benignissime concessa, sub generali confirmatione Privilegiorum de non appellando, confirmata sunt in *Instrumento Pacis Osnabrugensis art. V. §. 56.* his verbis: *Privilegia de non appellando Statibus imperii, illibata sunt, nec per mandata, aut commissiones, aut evocationes, aut quorvis alio modo turbantur.*

§. 53.

Anno 1693. Novembris die 6. Consilium ordinarium Leodiense Leopoldo Imperatori humillime supplicavit, ut Privilegia a gloriosissimæ recordationis Prædecessoribus suis Romanorum Regibus & Imperatoribus

toribus prædenominatis Patriæ Leodiensi, ut supra, benignissime concessa auctoritate sua Cæsarea clementissime confirmare & approbare dignaretur.

§. 54.

Quibus Consilii ordinarii Leodiensis humillimis precibus annuens Imperator, memorata Privilegia in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, Sententiis & verborum expressionibus laudavit, approbavit & in quantum opus, de novo concessit.

Louvre fol. 327. n. 86.

§. 55.

Anno tandem 1721. Julii 27. *Josephus Clemens* Episcopus & Princeps Leodiensis Carolo VI. Imperatori demississime etiam supplicavit, ut non solum præmemorata Privilegia clementissime confirmare & approbare, verum etiam, quoad summam hæctenus non appellabilem, ampliare benignissime dignaretur.

§. 56.

Quibus præfati Episcopi humillimis annuens Imperator precibus memorata Privilegia in omnibus suis punctis, clausulis articulis, Sententiis & verborum expressionibus pariter laudavit, approbavit & in quantum opus concessit.

Louvre fol. 328. n. 88.

§. 57.

Decernens ac firmiter statuens Imperator, quod prædicta omnia & singula perpetuis deinceps temporibus plenam roboris firmitatem obtinerent; adeoque Episcopi & Principes Leodienses, & Provinciarum atque ditionum ad Ecclesiam Leodiensem spectantium incolæ ac subditi, quacunque contradictione remota, Privilegiis non solum fori, seu de non evocando, sed & omnibus aliis supra designatis gaudere deberent, iisque & præsertim illi de non appellando a Sententiis interlocutoriis, ac aliis, quæ in causis possessoriis, Viginti - Duum Viralibus, criminalibus, injuriarum & carbonum lapideorum, nec non etiam cæteris quibuscunque causis, summam ad appellandum non excedentibus, per Episcopi & Principis Leodiensis judicia latæ fuerint, se conformare tenerentur.

§. 58.

Cupiensusque imperator, præfato Episcopo Ecclesiæ ac Patriæ Leodiensi, atque subditis ac incolis ob ipsorum constantem erga suam Majestatem Cæsaream & sacrum Romanum Imperium devotionem, fidem, obsequium & singularia merita, aliasque magni momenti causas animum suum moventes gratiam facere ulteriorem, *summam sexcentorum florenorum aureorum in mobilibus atque sexaginta florenorum aureorum annui proventus per prærepetita Privilegia præfinitam, ad mille octingentos*

D

gentos

gentos florenos aureos in immobilibus, & per consequens ad summam nonaginta florenorum aureorum annui redditus; in mobilibus vero ad nongentos ejusmodi florenos extendit & ampliavit.

Louvrex ibidem n. 90.

§. 59.

In causis autem auctam sic summam excedentibus vult & statuit Imperator, ut appellare volentes teneantur, non solum infra decem dies coram iisdem iudicibus appellationem interponere, ibidemque juramentum & cautionem sufficientem atque idoneam de fructibus & expensis, damnis & interesse, in casum succumbentiæ, adversario refundendis præstare, verum etiam (nisi excessus in ipsa sententia exponatur) hujusmodi excessum scripto deducere, ac habito respectu non ad propriam ipsorum æstimationem, sed ad verum legalemque Valorem, per legitimas probationes, non autem juramento probare, nec Episcopus seu iudices illius appellationibus deferre, aut a suarum sententiarum executione desistere prius teneantur, quam ejusmodi probatione completa prædictus excessus declaratus fuerit.

Louvrex ibidem n. 94.

§. 60.

Præterea decernit Imperator, citationes, evocationes, arrestationes, repræfalias, seu pignorationes, appellationes, provocationes, recursus, supplicationes, rescripta, commissiones, processus, inhibitiones & acta ubilibet etiam coram consistorio imperiali, aut alio quovis superiore & quacumque autoritate etiam Cæsarea, in præjudicium prædictorum Privilegiorum & indultorum a' data eorumdem quocumque modo procuratas, interprofitas, concessas, emanatas aut introductas, & imposterum faciendas, interponendas & concedendas, cum omnibus & singulis subsecutis & subsequendis, nulla, cassa & irrita fore, dictosque Episcopi iudices & alios incolas & subditos, ad præmissis, aut illorum alicui parendum seu obtemperandum nullatenus teneri, sed illis impune contravenire & dictorum Privilegiorum beneficio gaudere, illaque & Sententias & decreta eorumdem vigore lata vel ferenda omnibus modis, viis & formis melioribus, ad instar Consilii Imperialis, seu alias quomodolibet executioni debite demandari posse ac debere declarat.

§. 61.

Et ut tanto majoris vis, roboris ac efficaciarum firmitatem præmissa obtineant, Imperator sic immediate affatur: „Nulli ergo hominum sub „sacro Romano Imperio, aut nostris ditionibus, seu districtu constituto- „rum cujuscumque Status, gradus, vel conditionis extiterint, liceat „hanc paginam nostræ confirmationis, innovationis, concessionis, am- „pliationis, decreti, declarationis, mandati, voluntatis & gratiæ, in- „fringere, aut ei quomodocumque contravenire; si quis autem id atten- „tare præsumserit, præter & ultra nullitatem actus, pœnasque in præcen- „sitis Privilegiis & mandato contentas, nostram & imperii sacri indigna- „tionem

tionem gravissimam & pœnam quinquaginta marcarum auri puri, usibus in dictis Privilegiis expressis, & extra casus eorundem Privilegiorum ærario nostro applicandam, nec non, si tales transgressores ex conditionibus Ecclesiæ Leodiensis fuerint, officiorum & Privilegiorum cæteris Patriæ Leodiensis incolis competentium amissionem toties, quoties contraventum fuerit, ipso facto incurrant.

Louvrex fol. 33. n. 95.

Louvrex ibidem n. 96.

§. 62.

Mandat tandem ac injungit Imperator omnibus Principibus, Baillivis, Amaniis & locorum officialibus ubilibet constitutis Sibi & sacro Romano imperio subjectis, ac præsertim Fiscali, ad id per Principem Leodiensem, ejusve Consilium ordinarium constituto aut constituendo, quatenus præactas pœnas ad usum destinatum a contraventoribus irremissibiliter exigant ac realiter exequantur, tam per apprehensionem & arrestationem corporum, ac bonorum eorundem, quam aliis modis & viis oportunis quibuscumque, nec prius a dictis apprehensione atque arrestatione manum levent, donec contraventores hujusmodi præactam pœnam, sicut præmittitur, applicandam ad ærarium Consilii ordinarii Principis Leodiensis integraliter persolverint, & attentata quælibet in præjudicium prærecensitorum Privilegiorum & mandati revocaverint.

§. 63.

En variorum amplissimorumque Patriæ Leodiensis Privilegiorum seriem, ex eorundem prælandati de Louvrex locis præcitatis extractam serie, ubi pro coronide legitur tactorum Privilegiorum coram Camera imperiali Wetzlariensi facta insinuatione, & insinuationis ab eadem Camera acceptatio annis 1724. & 1728. Martii 17.

Louvrex fol. 333. & seqq.

§. 64.

Est & aliud Privilegium Rudolphi II. Imperatoris datum Pragæ 16. Decembris 1605. confirmatum ab imperatoribus Matthia, Ferdinando II. Ferdinando III. Leopoldo & Carolo VI. autoritate & decreto ejusdem Caroli VI. apud scabinos, tum supremæ justitiæ civitatis & Patriæ Leodiensis, tum supremæ Justitiæ comitatus Loffensis, nec non altæ Justitiæ Bilsensis in Legis custodiam repositum, prout hæc omnia fusius patent apud eundem de Louvrex Part. 2. cap. 12. §. 1. per tot.

Louvrex fol. 89. & seqq.

§. 65.

Hoc Privilegium Rudolphi II. Imperatoris confirmat Episcopi Leodiensis jurisdictionem, jure Regalium competentem atque Cameræ Rationariæ antiquitus tributam, nec non Fisco Principis convenientem

authoritatem, tam quoad receptores quoscumque, quam Camerae debitorum, vel qui ab ipsis causam quolibet modo habent, & qui super bonis & proventibus Principatus Leodiensis annuos redditus aliudve praetendere, sive inter se ratione locationis dictorum bonorum aliove titulo disceptare velint.

§. 66.

Cassantur omnes processus in praedictum Fiscum, mensae Episcopalis & Camerae Rationariae citra expressum Principis consensum alibi moti & instituti coram aliis iudicibus Leodiensibus, ita ut ad Camerae Rationariae deputatos commissarios remitti, neque imposterum alibi decerni debeant.

§. 67.

Adeo ut si inter ipsum Principem & partes controversia oriatur, eandem Camerae Rationariae Commissarii summarie, de plano, sine figura iudicii quam brevissime expedire & pronunciare debeant, relaxato pro illa vice juramento quod Principi praestiterunt.

§. 68.

Ne tamen cuiquam detur occasio conquerendi, mandatur Episcopo Leodiensi & successoribus sub poena cassationis & revocationis Privilegii, ut viri vitae & morum integritate conspicui, sinceri & experientia rerum insignes Camerae Rationariae praeficiantur, juramento pro administranda Justitia adstringendi, ad minus numero quinque, coram quibus Thesaurarius generalis & receptores rationes reddant (hic describitur prolixius modus reddendarum rationum & executionis reliquorum) & qui sine longo sufflamine jus & justitiam administrare debeant.

§. 69.

Hac annexa reservatione, ut si quis ex deputatis Camerae suspectus recusetur, non nisi probata recusationis causa justa & probabili audiri, & recusatus abstinere, aliusque subrogari debeat.

§. 70.

Conceditur etiam *beneficium Revisionis a definitivis & vim definitivae habentibus*: Revisores autem perpetui constituuntur Cancellarius & officialis Leodiensis pro tempore, nec non duo scabini Leodienses de Consilio privato, qui deposita tertia parte Valoris pro poena succumbentiae, una cum Consiliariis Camerae rationariae, juramento relaxato acta revideant & Sententiam dicant, quae, appellatione omni remota, executioni demandabitur.

§. 71.

Quae fuere dicta huc usque de privilegiis Leodiensis Principatus, in brevem contrahere libuit conspectum.

§. 72.

§. 72.

1mo.) *Summa appellabilis debet excedere mille octingentos florenos aureos in immobilibus: in mobilibus vero nongentos.*

§. 73.

2do.) *In Reditibus annuis nonaginta florenos aureos.*

§. 74.

3tio.) *Aestimatio debet probari non juramento, sed per legitimas probationes.*

§. 75.

4to.) *A Sententiis interlocutoriis, quæ nihil circa negotium principale definiunt, prohibita est appellatio.*

§. 76.

5to.) *Nec non in causis Possessorii judicii.*

§. 77.

6to.) *In causis injuriarum.*

§. 78.

7mo.) *In causis criminalibus.*

§. 79.

8vo.) *In causis Viginti-Duum-Viralibus.*

§. 80.

9no.) *In causis Revisionalibus.*

§. 82.

10mo.) *In causis politicis.*

§. 82.

11mo.) *In causis carborum lapideorum & fodinarum nulla permittitur appellatio.*

§. 83.

12mo.) *In causis bonorum Principis, sive Cameræ Rationariæ appellatio non est permissa.*

E

§. 84.

§. 84.

13mo.) *In materia contravenatoria ad Consilii ordinarii jurisdictionem per eadem Privilegia private spectante.*

§. 85.

14to.) Quod vero ad causas appellabiles & appellatio & appellationis solemnitas coram Consilio ordinario & fieri & præstari debent.

§. 86.

Quibus præmissis, de præmemoratorum Privilegiorum & imitatione & tenore, restat nunc, ut dicatur de eorumdem coram sacra Imperiali Camera inobservantia seu transgressione.

§. 87.

Quamquam Mandatarii Principales, ob summam, qua suprema imperii Dicasteria, horumque decreta, sententias, mandata & ordinationes semper coluerunt, semperque culturi sunt, observantiam, silentio hic libenter prætermitterent gravamina sibi illata, per præmemoratorum Privilegiorum apud Imperialem Camera inobservantiam seu transgressionem; verum multiplicata nimis sunt illa, totique Patriæ nimum damnosa ac præjudicialia, quam ut *Excellentissimæ Commissioni Cæsareæ & perquam gratiosæ Imperii Visitationis Deputationi*, ad ea reparanda futurisque obviandum summa cum potestate nominatis & constitutis, non revelentur.

§. 88.

Enim vero tot sunt Privilegiorum, de quibus, coram dicto supremo Tribunali inobservantiæ seu transgressionis exempla seu casus, proindeque tot gravamina subditis ac incolis Patriæ Leodiensis illata, quot amplissimo volumine vix comprehendi possent.

§. 89.

Sed ne pretiosissimis *Inclytæ Visitationis* abutamur momentis, ex multis pauca dumtaxat referentur dicta inobservantiæ seu transgressionis exempla, compendioso catalogo sub *Lit. I.* humillime adjuncto contenta, ex quibus constat, vix unum ex prærecensitis omnibus reperiri Privilegium, quod a dicto supremo Tribunali sæpe sæpius neglectum ac contemptum non fuerit.

§. 90.

Quibus autem principiis suprema Imperialis Camera a Privilegiorum ibidem insinuatorum & acceptatorum tenore & observantia, sic recedere potuerit, videre non est; cum enim dicta Privilegia inter fundamentales Patriæ Leodiensis leges numerum faciant, indubitatum est, quod

quod Camera Imperialis hæc Privilegia stricte observare teneatur, juxta recessus imperii de anno 1654. §. 105. 111. & 123. extraordinariæ Visitationis Camerae Imperialis de anno 1713. §. 9. &c.

§. 91.

Quapropter dictus, qui supra, Mandatarius plenissime confidit, fore ut *Excellentissima Commissio Cæsarea & perquam gratiosa Imperii Visitationis Deputato* dignaturæ sint, sacrae Imperiali Camerae demandare serioque injungere, quatenus præcensitis Privilegiis imperialibus, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis & verborum expressionibus, se se deinceps conformet, præsentium atque futurarum appellationum contraventoriarum non tantum denegando processus; verum etiam datam atque concessam per tacta Privilegia, non obstantibus hujusmodi appellationibus, ulterius procedendi sententiasque seu decreta debitæ executioni demandandi, & iudicibus & victoribus plenam atque integram relinquendo libertatem, juxta præactorum Privilegiorum expressum tenorem & claram eorundem dispositionem. Datis insuper promotorialibus ad dictam Imperialem Cameraam, ut omnes contra allegata Privilegia Cæsarea decretos, & littera I. recensitos processus iterum cassare & ad Iudices competentes Leodienses pro complemento Justitia remittere debeat, nullosque amplius contra dicta Privilegia decernat. Id quod submississime rogat, obtestatur & implorat

Excellentissimæ Commissionis Cæsaræ
ac
Perquam Gratiossæ Imperii Visitationis
Deputationis!

Humillimus

D. F. Haas Ltus.

E 2

AD-



ADJUNCTA

Lit. A.

Extractus ex Consilio seu assensu metuendissimi Domini & Principis Leodiensis ad articulos in diæta patriæ decima quinta & decima sexta Februarii 1516. propositos pag. 3.

In puncto justitiæ administrationis dominus censet relative ad conclusio- nem in penultima Patriæ diæta captam, videlicet delegandum esse ali- quem ad sacram suam Cæsaream Majestatem, in ordine ad impetrandum provisionem vel Privilegium de non amplius appellando in causis mobi- lia bona, ac immobilia concernentibus, nisi excedant assertam summam, quæ pro graviori, quo fieri poterit, a prælaudata sacra sua majestate implora- bitur. Cum vero non sufficiat Privilegium de non appellando ad Imperialem Cameram, nisi in Patria justitiæ administratio in meliorem Statum restitua- tur, prælaudatus Princeps noster censet, instituendum esse autoritate sua validum quoddam Consilium, quo in Consilio assident tot Domini ca- thedrales canonici, tot nobiles, quot & alii docti, in scientiis & consue- tudinibus versati, ad quos appellabitur a scabinorum Sententiis, omnibus in causis, a quibus vetita erit ad Cameram Imperialem appellatio, prout & in omnibus aliis causis, partibus se gravatas prætendentibus be- nevisis, ac eoram dicto Consilio bene ac digne ordinato prosequantur appellationes, modo & forma, quibus illæ prosequuntur coram judicibus imperii: nam hoc fit dumtaxat ad evitandos summos sumptus, nec non bre- viorem Justitiæ administrationem assequendam. Ad obvieniendum vero quibuscumque forsân opponendis, prælaudata sua Cæsarea Majestas dignabitur per illud Privilegium prædictis illustrissimi Domini nostri consiliariis talem & similem autoritatem tribuere, qualis concessa est suis Camera Imperialis judicibus.

Per extractum ut supra & versionem Latinam in sub- stantia consonam quod testor.



Petrus Josephus de Limborgh,
publicus Notarius Cæsareus & immatriculatus
Leodiensis mppria.

Lit. B.

Extractus ex demonstratione & Conclusis Statuum Patriæ ad propositionem factam in diæta in civitate die undecima Julii 1721. habita pag. 8. Lit. E.

Quantum ad sextum articulum, Status opinantur, Consilium Reveren- tissimi domini esse optimum, ac in illius sequelam Celsitudinem suam

suam rogant; ut opus illud in se suscipere dignetur, & aliquem ex magis idoneis deputare ad examen Privilegiorum, & ad faciendum Conceptum confirmationum & ampliacionum, ac eorundem expeditionem Patriæ expensis sollicitandam; confirmenturque principaliter Privilegia Augustissimi quondam Maximiliani in puncto appellationum; utque nemo possit sive in corpore sive in bonis arrestari, nec extra Patriam evocari in prima instantia, impetretur nova provisio & constitutio in puncto conservatorias concernente, ut quislibet tractetur coram suo iudice ordinario.

Puncto constitutionis Consilii ordinarii, quæ sequitur ad articulum septimum, opinantur Status, ut pro bono publico, nec non conservatione bonorum Patriæ ordinetur & constituatur Consilium illud (ordinarium) personis idoneis per trinos Status denominandis, videlicet tribus per Principem, duabus per Capitulum, duabus per nobiles, ac duabus per bonas urbes, teneanturque personæ denominatæ, ac quævis aliæ in locum surrogatæ juramentum fidelitatis tam Principi, quam Patriæ præstare, & esse conservatores & executores prædictorum Privilegiorum, constitutionum & bonarum Patriæ consuetudinum, brevemque & bonam administrare justitiam omnibus in causis coram ipsis motis.

Per Extractum ut supra, & versionem latinam in
substantia consonam, quod attestor



D. de Limborgh,
Cæsareus immatriculatus Notarius mppria.

Lit. C.

**Protocollum sive Documentum authenticum acceptationis
Privilegiorum Imperialium per tres Status Patriæ Leodiensis
Spiræ editum.**

In nomine domini amen. Universis & singulis præsentia visuris, legi audituris, & præsertim magnifico & generoso Domino Domino Præsidenti, cæterisque sacri imperialis Consistorii iudicibus & Assessoribus pateat & sit notum, quod die datæ præsentium comparuit personaliter venerabilis vir Magister Willebrordus de Everfal Legum Doctor, coram reverendis, nobilibus & egregiis dominis decano & capitulo Ecclesiæ majoris Leodiensis, illustribus, nobilibus & militaribus ac civitatis & aliorum oppidorum Patriæ Leodiensis & comitatus Loffensis deputatis, tres Status patriarum hujusmodi repræsentantibus, in loco Capitulari prædictæ Ecclesiæ cathedralis Leodiensis, loco siquidem, in quo dictorum Statuum Conventus & diætæ teneri solent, habens & suis in manibus tenens retrotractas litteras imperiales citatorias. Illas ibidem omnibus melioribus via, modo, jure, causa & forma, quibus potuit, intimavit, & ad eorundem & cujuslibet eorum veram & indubitam notitiam de-

F duxit,

duxit. Citando præterea eosdem ac eorum quemlibet ad tertiam diem mensis Septembris proxime futuri coram vestris mag. & dom. Si dies ipsa tertia juridica fuerit, alioquin ad proximam diem juridicam ex tunc immediate sequentem, ad videndum & audiendum certa reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis coram Privilegia exhiberi, ac tenores, signaturas & Sigilla eorundem recognosci, illaque per vos transsumi, vidimari & authorisari, atque judiciale vestrum Decretum desuper interponi, vel si qui sua interesse putarent, dicendum & proponendum judicialiter contra eadem, desuperque vestram finalem determinationem audiendum, cum limitatione tali, quod sive compareant, sive non, vos nihilominus procederetis ad præactorum Privilegiorum transumptionem, vidimationem & authorisationem & Decreti interpositionem, prout Justitiæ ordo exostularet, qui quidem Status prædicti publice responderunt, dicta Privilegia per serenissimos & invictissimos Cæsares, quondam nobilis memoriæ Maximilianum & Carolum Imperatorem modernum, in eorum præcipuum favorem & subditorum relevamen concessa fuisse, & se illa rata & grata dudum habuisse, atque publicari & executioni debitæ demandari, atque usibus subditorum recipi fecisse, & propterea illis nullatenus opponere aut contradicere, *sed illa firmiter observare ac nisi cum vita amittere velle*, consentientes nihilominus & petentes, ut hujusmodi Privilegiorum vidimatio, transumptio & authorisatio juxta tenores & continentiam dictarum litterarum, vel alias pro ipsorum notificatione & corroboracione per vos, magnificum & generosum Præsidentem, & cæteros sacri Consistorii iudices & Assesores fiat, & in forma debita & authentica expediatur, constituentes etiam pro interesse & quatenus opus sit, præfatum Dominum Doctorem Willebrordum, necnon Dominum Joannem Drack juris utriusque Doctorem, & eorum quemlibet, ad petendam dictam vidimationem & authorisationem fieri, atque ad alia omnia ad actum vidimationis pertinentia agendum & experiendum, etiam si Mandatum exigant speciale. Acta fuerunt hæc in civitate Leodiensi, anno a nativitate Domini 1522. mensis Julii die quinta, præsentibus ibidem honorabilibus viris Dominis, Huberto Hustin Canonico imperiali & Joanne de Elst parvæ mensæ in prædicta Ecclesia Leodiensi Canonico, presbiteris, & nonnullis aliis viris fide dignis, testibus vocatis, subscriptum gen. Tuerinx ad præmissa Notarius. Deinde sic Oliverius Bouc per Copiam.

Per Extractum & versionem latinam in substantia consonam. Quod testor.



Petrus Josephus de Limborgh,
publicus Notarius Cæsareus & immatriculatus
Leodiensis mppria.

Lit. D.

Extractus ex propositionibus Reverendissimi Domini nostri in diæta de dato duodecimæ Novembris anno 1549. factis pag. 56.

Cum vero ad instantissimam nostram supplicationem dignata fuit Majestas sua Cæsarea confirmare & approbare Privilegia, prius tam à prælau-

prælaudata sua majestate, quam ab altæ & illustris memoriæ Imperatore Maximiliano annis respectivè 1518. & 1521. impetrata & concessa.

Cum etiam per dictos de nostro Consilio informemur, quod plurimi in præjudicium & contraventionem Privilegiorum præsumantur appellare a Sententiis per ipsos latis, partesque & iudices evocent ad Cameram seu Consistorium imperiale, ubi, in conservationem Privilegiorum nostrorum, pro ipsis ad causam intervenimus, summopere necessarium foret, prout in diætiis præcedentibus conclusum & arrestatum fuit, remedium necessarium adferre, ad videndum & procedi faciendum contra illos ad pœnam per præfata Privilegia comminatam, prout & per vos provideri de summis pecuniariis hunc ad effectum necessariis

Extractus ex deliberationibus & resolutionibus honoratorum Dominorum meorum decani & Capituli venerabilis Ecclesiæ Leodiensis, hac duodecima Novembris ejusdem anni

Ad Nonum articulum Domini mei opinantur juxta ea, quæ in diætiis præcedentibus conclusa & arrestata fuerunt, signanter in diæta de anno 1543. summopere esse requisitum pro defensione & conservatione Privilegiorum, de quibus, ut procedatur contra transgressores ad pœnas per illa comminatas, semota omni dissimulatione

Ex deliberationibus Dominorum nobilium prædicto anno in diæta habitis

Ad tenorem 9ni articuli prædictarum propositionum Domini nobiles opinantur, ut, ad conservationem Privilegiorum, juxta Conclusa in diætiis præcedentibus habita, rigorose & stricte procedatur contra prædictorum Privilegiorum transgressores, ad Executionem & Satisfactionem pœnarum in illis mentionatarum & expressarum, nullo habito cujusvis Status vel conditionis personali respectu.

Extractus ex propositione in diæta Patriæ per nostrum Reverendissimum & illustrissimum Dominum & Principem Dominum Leodiensem facta anno quo supra

Resolutiones civitatis & bonarum Patriæ urbium

Quibus Deputatis consulibus expediens videtur, omni conatu agere, ut relative ad 8um & 9num articulos dictarum propositionum, Privilegia, de quibus, expensis Patriæ protegantur in omni rigore contra quosque sub pœnis & amendis per ea comminatis, contraventores rigorose prosequendo, quem ad affectum concedimus prædictis deputatis, pro eorum retributione, necnon pro sollicitatione confirmationis dictorum Privilegiorum, ubi opus erit, mille Brabantia florenorum summam semel solvendam.

Per Extractum ut supra & versionem latinam in substantia consonam quod attestor.



Petrus Josephus de Limborgh,
publicus Notarius Cæsareus & immatriculatus
Leodiensis mppria.

F 2

Lit. E.

Lit. E.

Ex propositione Domini reverendissimi & illustrissimi Domini Domini Leodiensis in diæta ejus Statuum anno 1550.

Julii facta

Præter & ultra id, quod nuperrime vobis expositum fuit, quod plures a Sententiis, per nostros Consilii ordinarii senatores latis, appellent ad Cameram seu imperiale Consistorium, in dictorum Privilegiorum præjudicium, etiam informandi estis, quod aliqui jam a paucis temporibus in dies præsumant, a Sententiis Statuum nostrorum, qui cognoscunt causas per appellationem a tribunali viginti duum virali, appellare ad Cameram & Consistorium imperiale, cui malo necesse est, ut obvietur, prout & corripantur quicumque prædictorum Privilegiorum transgressores, alias Sententiæ per dictos viginti duum viros successive & Status nostros reddendæ fructu, executione & effectu carebunt.

Ex deliberatione & Consilio venerabilis Capituli Leodiensis ad propositionem factam per reverendissimum & illustrissimum Dominum nostrum & Principem in diæta Statuum celebrata, ut superius.

Ad articulum tertium dictarum propositionum, præter & ultra id, quod deductum & mentionatum est in præcedenti articulo, de scilicet impetrando a Cæsarea sua Majestate, necnon a sacri romani imperii Statibus Privilegio ad impediendas appellationes in eo mentionatas, etiam necesse erit, juxta Conclusâ in novissima diæta, absque dissimulatione procedere ad pœnas per dicta Privilegia comminatas, imo quod plus est, quantum ad viginti duum viros & Status generaliter dictorum Privilegiorum, franchisiæ & libertatis conservationem pertinet, necesse erit per Status eorum manutentioni favere, illam in se suscipere, istum ad effectum procuratorem, ubi opus erit, constituere simul & supplicare Majestati suæ Cæsareæ, ut præfatas appellationes impediatur, utpote tranquillitatis publicæ admodum turbativas, ut etiam supprimat quascumque oppressiones & facti vias, simul & prælaudata Privilegia, antiquos usus & consuetudines confirmet

In deliberationibus nobilium in diæta Statuum de anno & die quibus supra.

Quantum attinet ad tertium articulum præfatarum propositionum exordientium *præter & ultra &c.* Domini nobiles opinantur, maxime expedire, ut contra prælaudatorum Privilegiorum infractores procedatur ad exactionem pœnarum per eadem Privilegia comminatarum, nulla habita personarum cujusvis gradus vel conditionis acceptione; quantum vero ad pacta viginti duum viralia, nec non Statuum deputatos simul & quæcumque alia Privilegia & Franchisias necesse est admodum, causam defendere & ad eam intervenire, & ideo opus erit, constituere procuratorem, ut procedat ad revocationem appellationum, studeatque manutentioni & conservationi eorundem Privilegiorum & Franchisiarum in civium, incolarum, & habitantium Patriæ tuitionem, ac denique in
extirpa-

extirpationem facti viarum & attentatorum quæ, quotidie, sed a paucis tempore perpetrantur.

Per Extractum ut supra & versionem latinam in substantia consonam, quod testor.



Petrus Josephus Limborgk,
publicus Notarius Cæsareus & immatriculatus
Leodiensis mppria.

Lit. F.

**Ex Consiliis & deliberationibus honoratorum admodum
Dominorum venerabilis Capituli Leodiensis habitis in diæta de
anno 1550. mensis Julii die tertia.**

Ad articulum secundum prædictæ propositionis, Domini mei, visis & examinatis Privilegiis de annis 1518. & 1521. in dicto articulo mentionatis, ac generaliter omnibus eis, quæ abinde gesta & acta fuerunt cum statibus in puncto admissionis & receptionis eorundem, visis etiam litteris patentibus, prælaudatæ suæ illustrissimæ Gratiæ seu Celcitudini per sacram suam Cæsaream Majestatem clementissime indultis, etiam in eodem articulo mentionatis, in puncto consilium ordinarium, appellationes, optionem, & electionem consiliorum, eorundem salarium, & mercedem, prout & appellationes ab illis ad Cameram seu Consistorium imperiale concernente, opinantur, & ipsis videtur, quod prædictus articulus electionem præfatorum consiliariorum, prout in eisdem litteris deductum est, foret præjudicialis prælaudatis Privilegiis & possessioni, in qua versantur Status, & proinde impracticabilis, sed ad obviandum cuius ambitioni, providendumque, ut imposterum dictum consilium provideatur personis bene qualificatis, & sufficienter instructis ad Justitiæ administrationem. Pro bono & tranquillitate publica posset committi prædicti senatus consiliariis, ut adveniente morte ex illis cujusdam, per illos denominarentur tres personæ, quos existimarent qualificados, idoneos & sufficientes ad illud officium, quæ nominatio sub clausis litteris præsentaretur Statui seu membro, ad quod dicti officii vacantis collatio pertineret, ut ipse optionem & electionem unius ex tribus denominatis faceret, qui prævie præstito juramento in gremio ejusdem consilii admitteretur, quantum vero ad dictorum consiliariorum salarium, opinantur Domini, nunc eidem satisfactum esse per reformationem, juxta quam tamen hi, quam ejusdem consilii ministri tenebuntur se habere & conformare. Item opinantur, maxime expeditum fore & utilissimum, impedire appellationes a prædicto consilio interponendas, expeditionem contenti in prædictis litteris patentibus articuli obtinere tam authoritate Cæsarea, quam per imperii Status.

Ex deliberationibus nobilium ad dictam propositionem factis.

Ad articulum secundum sermonem facientem de Privilegiis annorum 1518. & 1521. in eodem articulo fusius specificatis, nec non in rela-

tione, quæ abinde facta fuit per Status in puncto receptionis & admissionis eorundem, prout & ex litteris per sacram suam Cæsaream Majestatem prælaudato reverendissimo Domino nostro benigne concessis & elargitis, de quibus fusius in dicto articulo. Domini nobiles in puncto prædictas litteras concernente idem opinantur, ac venerabile Capitulum, & ad obviandum ambitioni, donis, promissionibus & sollicitationibus, Dominis de consilio commissum fuit, ut vacante dicto officio ejusdem Senatores tres denominare valeant sub sigillatis litteris eosque Statui vel membro, ad quod istius officii electio pertinebit, præsentare, sine ex tribus præsentatis eligendi magis idoneum & ad illud officium aptiorem, prout ipsis videbitur similiter. Quantum ad residuum ejusdem articuli, prælaudati nobiles venerabilium Dominorum consilio assentiuntur.

Per Extractum ex consiliis ut supra & versionem latinam
in substantia consonam, quod testor.



Petrus Josephus de Limborgh,
publicus Notarius Cæsareus & immatriculatus
Leodiensis mppria.

Lit. G.

Ex deliberatione & conclusione Dominorum venerabilis
Capituli super articulo 15to memorialium per suam reverendissimam
Gratiam productorum in cætu suorum Statuum habito in civitate
die 11. Aprilis 1553. pag. 39. Lit. A. A.

Quantum vero ad secundum articulum ejusdem memorialis, nec non formam colligendi summam anno 1550. concessam in tuitionem Privilegiorum impendendam juxta Statuum intentionem, Domini mei deputarunt Dominum Scholasticum M. Joannem Wittem, necnon alios Dominos, reverendissimæ suæ Celsitudini gratias agentes pro gratis officiis & diligentis huc usque adhibitis in protectionem & defensionem hujus Patriæ & subditorum, nec non pro oblatione per eandem suam serenissimam celsitudinem gratiose facta de impendendis aliis tum ab ipsa celsitudine, tum a Patria ex experientia favorabilibus repertis.

Ex consilio & deliberationibus Dominorum nobilium in puncto propositionum & expositionum per reverendissimum & illustrissimum Dnum nostrum & principem factarum in præcedenti cætu.

Quantum ad articulum secundum memorialis sermonem facientis de denariorum summa in diæta anni 1550. concessa in protectionem & conservationem maxime requisitam Privilegiorum Patriæ, quæ si non tueantur, contra quotidiana attentata adnihilari possent & ad ruinam trahi, præfati Domini nobiles ejusdem summæ denariorum pro tunc concessorio decreto inhærent, voluntque, ut prælaudata Privilegia diligenter defendantur & manuteneantur in solatium, & totius Patriæ tranquillitatem, & eorum pro parte deputarunt Dominum de Chokier, gratias agentes præfati Domini Celsitudini suæ reverendissimæ pro gratiois officiis, necnon

Ex resolutionibus Dominorum venerabilis Capituli in diæta Statuum
14ta Decembris 1554. habitis.

Ad cohibendas vero appellationes a Statuum Sententiis insequenda erunt consilia, necnon conclusiones; in diætis præcedentibus desuper suscepta, ac proinde opus erit profèqui ad declarationem pœnarum contra hujusmodi appellantes in contemptum Privilegiorum a sacra sua Majestate gratiose concessorum, & de cætero obtinere Privilegium a prælaudata sua Majestate hujusmodi appellationum a Statuum Sententiis impeditivum, supplicantes suam serenissimam Celsitudinem, ut præmissis benigne faveat, conformiter declarationi & gratiofis ejus gestis.

Ex deliberationibus Dominorum nobilium ad propositiones in præscripta diæta factis.

Ad obviandum vero appellationibus, quæ interponuntur a Sententiis Dominorum viginti duum virorum & Statuum, Domini nobiles inhærent conclusis in diætis præcedentibus susceptis, tam per Dominos de venerabili Capitulo, quam per ipsos, rogantes serenissimam suam Celsitudinem, quatenus desuper protegere dignetur suos Status, ut a sacra sua Majestate obtinere valeat Privilegium & confirmationem quatenus, deinceps hujusmodi appellationes amplius haud admittantur nec recipiantur, sub pœnis requisitis & necessariis, idque expensis Patriæ, & ex denariis quinque mille florenorum, qui concessi & collecti fuerunt in defensionem præfatorum Privilegiorum. Subscriptum erat W. Garrii prout supra Notarius.

Per Extractum ut supra, & versionem latinam in substantia consonam, quod testor.



D. de Limborgh,
Cæsareus immatriculatus Notarius mppria.

Lit. I.

Catalogus seu designatio quarumdam appellationum præter
& ultra centenas alias, ad sacra imperii tribunalia, Privilegiis Cæsareis contraventorie & attentatorie interpositarum.

In Anno 1754.

I. **V**igesima secunda Aprilis 1754. sua serenissima Eminentia in suo consilio privato continuavit assertum *Hayweghen* in collectorem talliarum oppidi Loffensis, tam ex quo sufficientem, quam quod fideliter administrasset, nec non ad obviandum contestationibus hifce similibus, quæ oppidi ruinam causaverant, ob moram collectorum de anno 1730. ad annum usque 1740. in reddendis rationibus & reliquis præactam; asserti *Vanberck* & *Langenacken* exconsules præsumserunt autoritate privata ejusdem oppidi opificiorum procurare congregationem, ac ab illis constitutionem procuratoriam subriperunt ad appellandum, imo & appellarunt & plenarios processus obtinuerunt primo saltu, & absque quod

quod sacra imperialis Camera litterarum informatorialium demandasset transmissionem, quemadmodum constat ex citatione per Laurentium Hellinx Notarium Cæsareum 6ta Septembris 1754. insinuata.

II. Discorde Magistratu Loffensi puncto eligendi Procuratoris, qui suum officium præstaret in asserta lite coram Domino officiali agitata, ejusdem Magistratus pars in privata quadam domo congregata Procuratorem nominavit, pars vero altera in suo ordinario cœtu alterum designavit, inde orta lite, Dominus officialis partes remisit ad consilium privatum, a quo tertius Procurator neutri partium suspectus per apostillam de dato 29. nominatus fuit.

Verum enim vero præfati *Vanberck* & *Langenacken* ad imperialem Cameram appellarunt, ubi pleno saltu admissa fuit appellatio, adeo ut cum deficeret oppidum receptore & procuratore, undequaue oppressum fuit a suis creditoribus, quæ jura ad executionem quæsiwerunt imminemtem.

III. Moto per & inter Chirurgos *Poilvache* & *Lefevre* Jurgio in puncto præcedentiæ in Collegio Medicorum, Consilium privatum per suam de dato 12tiæ Martii 1754. ordinationem asserto *Lefevre* illam adjudicavit.

Decima Martii præfatus *Poilvache* ab hac ordinatione ad Cameram imperialem appellavit, & nil nisi rescriptum ad transmissionem informatorialium litterarum obtinuit, sed recusavit prærogare sportulas ad illarum confectioem afferentes, adeo ut hæserit triumphans suo recurſu per Privilegia Cæsarea interdicto, Notarius Hellinx prædictam recepit appellationem.

IV. Cum Baro *de Calwart* in puncto manutenentiæ in possessorio summarissimo contra Barones *de Cimony* Sententiam obtinisset, supplicavit suam serenissimam celsitudinem pro obtinenda manu militari, cum partes ad arma venirent, ut bona provisorie sequestrarentur, cumque parte hinc inde in consilio privato comparuissent, ibidem declaratum fuit per apostillam de dato 21mæ Augusti 1754. suæ serenissimæ Eminentie mentem haud esse, judicum suorum ordinariorum legitimam executionem impediendi, sed prius quam partes comparerent, Domini *de Cimonii* coram Notario Cæsareo Hannecart die quinta ejusdem mensis appellationem interposuerunt in terminis „informatus quod „consilium privatum resolverit concedere vim armatam Baroni de Calwart in vilipendium geminæ appellationis ad Cæsarem & consilium ordinarium interpositæ, declarat se iterato & ex abundantia ab hujusmodi attentatoria consilii privati resolutione jam forte emanata aut emananda, appellare & provocare, tanquam ab abusu, & notoria nullitate &c. &c.

V. Cum Maria *Cornelia Heyne* dilpendiosam quandam litem coram Dominis Scabinis Leodiensibus sustinisset contra Magistros hullifodinæ condictæ *procureur* in materia hullifodinaria, in qua victoriæ palmam retulit, quæque conata ulterius litigare coram consilio ordinario

H

ibidem

ibidem succubuit, & tandem coarctata fuit ad beneficii revisionalis implorationem. Septem revisores unanimi voce consilii ordinarii sententiam reformarunt scabinali confirmata, juxta Privilegia nostra Cæsarea vetitum est appellare a Sententiis in revisorio judicio latis, tales quales illæ esse valeant.

Juxta eadem Privilegia Sententiæ in materia hullifodinaria latæ expresse ad suprema imperii archidicasteria declarantur inappellabiles.

Nihilominus tamen assertus *Devaux* sub patriis exteris degens, quique in dicta hullifodina quandam obtinebat portionem, ab illa Sententia appellavit, hæcque appellatio in scriptis redacta fuit in ædibus *Gerardi Henrici Cloffet*, qui a consortibus suis erat constitutus.

Introducæta dicta appellatione coram Camera imperiali una cum gravaminum libello, falsitatibus & injuriis referro, plenarios obtinuerunt processus die 18ma. May 1754. inde, qui appellationi non intervenerant, facti sunt eo audaciores, quod coram Notario Cæsareo *Hannecart* octavi Novembr. 1753. declaraverint se præfatæ appellationi adhærere, protestantes de attentatis contra eventualem dictæ sententiæ executionem, adeo ut pars victrix præ expensis ruinae tradita, jure suo privatur, inter eadum ejus ædificia profundi periclitantur ab opera subterranea contra regulas hullifodinarias practicata.

VI. Ad subveniendum expensis ultimi belli universitas ex *Boffus en fagne* sibi in annis 1748. & 1750. tallias imposuit relative ad mandata principalia, sed præcipui possessionarii, ac signanter *Dominus comes de Kievrain*, recusarunt eis subvenire diversis sub prætextibus, per supplicas consilio privato porrectas adductis.

Vigesima prima Julii 1753. & 15ta Martii 1751. sua serenissima eminentia ipsi injunxit, quatenus provisorie suam solveret quotam partem.

Imploratoque per illum restitutionis beneficio, eidem demandatum fuit 18va Aprilis 1754. ut finaliter, peremptorie & absque ulteriori recurso præcedentibus ordinationibus satisfaceret mediante solutione reali & provisionaliter &c. quibuscumque exceptionibus salvis, post evacuatam provisionalem Sententiam proponendis, quibus præstitis deducerent & allegarent partes quæcumque &c.

Quarta Junii ejusdem anni renovatur Mandatum de parendo provisionali Sententiæ sub pœnis per Mandatum de anno 1686. comminatis.

Dominus comes de Kievrain ad Cameram imperialem coram Notario *Hellinx* appellavit, demandatæ fuerunt informatoriales litteræ, sed & aëtorum depositio & jurium ad earumdem confectionem prærogatio denegatæ fuerunt, adeout communitas desit in mediis ad subveniendum belli expensis, imo & omnes possessores adinstar Domini comitis quotam suam partem præstare renuunt, sub prætextu, quod sint soluturi, ubi toparcha solvet, proinde possessionatorum trina pars in nihilo contribuit, ubi pauperes tenentur totum onus ferre.

Quævis

Quævis provisionalis Sententia est inappellabilis, a fortiori in materia talliarum, & politiæ, quæ juxta art. 17mum Mandati de anno 1686. prius & ante omnia est sufferenda.

VII. Cum assertus *Soliveau* vini mercator, reverendi Domini officialis Leodiensis autoritate, viduam de Mathieu citasset pro assequenda *quinquaginta trium Brabantie florenorum* solutione, hic prior fuit per Sententiam definitivam condemnatus.

Cumque etiam restitutionis beneficium implorasset, prælaudatus reverendus Dominus officialis Sententiam præcedentis confirmatoriam tulit cum condemnatione in expensas.

Ab hac Sententia *Soliveau* revisorium judicium amplexus est, quod ei fuit concessum, prout stili, cum facta eidem injunctio, ut diligentias eo intuitu adhiberet juxta patentes Cæsareas adhibendas.

Ast cum implorans desuper in mora grassasset, imo nequidem rationes decidendi requisivisset, minusque jura ac earundem confectio- nem afferentia prærogasset, effluxi sunt præfiniti, eo in puncto sex menses, & binæ Domini officialis Sententiæ vim judicati sunt affectæ.

Cumque vidua juris sibi quæsti executionem cuperet, supplicam consilio privato porrexit, eo fine ut sua serenissima celsitudo revisionem desertam declararet.

Supplicarum examine & relatione factis, revisio fuit declarata deserta, cum remissione partium & causæ ad Dominum officialem pro ulteriori justitiæ complemento.

Statim atque prædicta vidua ad executionem procedere voluit, *Soliveau* viam illam præclusit per exhibitionem extractus protocollaris ab imperiali Camera procedentis & paulo post prælaudata Camera concessit Mandatum, vi cujus consilio privato injungitur, ut revisionis beneficium concedat die 18. Decembris 1753. Consilium privatum per modum informationis causas sub & obreptionis transmisit.

Ast licet productæ fuerint, prælaudata imperialis Camera silentium desuper tenuit, & vidua suarum sententiarum fructibus privatur.

VIII. Cum *Thomas Franquet* & consortes in quadam luitionis causa *Laurentium Francisci* & consortes condemnari procurassent tam, per Sententiam scabinorum Leodiensium, quam per confirmatoriam a consilio ordinario, prædictus *Francisci* & assertus *Bauduin* pro illo interveniens a prælaudato consilio ordinario beneficium restitutionis imploravit, coram quo causæ & rationes restitutionis exhibitæ fuerunt die 2da May 1754. una cum Mandato procuratoris.

Intereadum in secunda illa instantia, & pars & judex deluderentur, Notarius Cæsareus *Hannecart* insinuavit quoddam conclusum a sacra imperiali Camera procedens, vi cujus plenarii appellationis processum concedebantur.

Observandum est, quod nec iudex, nec pars ulla appellatione fuerint insinuati, quæ proinde facta fuit clandestine & nullis servatis formalitatibus de essentia per constitutiones imperii requisitis.

In hacce extraordinaria cathedra, imo & inaudita, pars ad Notarium Cæsareum Hannecart decurrit, ut ab eo istius appellationis copiam obtineret mediantibus iuribus, sed illam recusavit, dicendo, quod nemo posset ipsum cogere ad illius traditionem.

Ecce proinde causa adeo vulnerata, ut defectu mediolorum necessariorum maneat improsequibilis, & indefensa, licet binæ dentur favorabiles Sententiæ tam in prima, quam in secunda instantiis.

IX. Die decima tertia Decembris assertus *Bartholomé* incola ex *villers le Bouillet* autoritate Domini officialis *Leodiensis* *Joannem Faudeur* citavit ad videndum illum arctari ad quorumcumque registrarum talliarum, exemplarium, quittanceiarum & chartarum ad dictam communitatem pertinentium restitutionem, subindeque obtinendam rationem suæ administrationis pro toto tempore, quo denarios publicos administravit.

Citatio illa non placuit communitati, quæ recusavit ad causam intervenire, attamen in illius progressu præfatus *Faudeur* sub expurgationis juramento restituit assertas chartas, quas inter comperta fuit designatio talliarum anno 1736. ad annum usque 1744. *Bartholomé* constitutus petiit, quatenus designatio talliarum anterior de anno 1716. ad annum usque 1735. pariter restitueretur.

Suborta desuper disceptatione, Dominus officialis per suam dato 19næ May 1752. parti citatæ injunxit, ut produceret & restitueret talliarum designationes ab anno 1717. usque ad annum 1735. vel doceret se illas restituisse pagimagistro successori.

Vigesima tertia Junii subsequenti prædictus *Faudeur* revisionis beneficium amplexus &c.

Ast consilium privatum considerans objecti modicitatem & causæ naturam, quæ videbatur non esse de ressortu iudicis ordinarii, hinc inde partibus mandavit, ut comparerent coram illustrissimo Domino suffraganeo, sine tentandi concordiam.

Partes fuere concordæ, sed cum inita concordia ratihabita non fuisset per communitatem, implorans reversus est ad consilium privatum pro obtinendo revisionis beneficio, quod ipsi, ut stili, concessum fuit 13ma Novembris 1752.

Instantia revisionis pendente, mota est inter partes disceptatio super puncto, utrum revisio foret, nec ne deserta? Revisores illam desertam declararunt, ab hac Sententia vidua *Faudeur* ad *Cameram imperialem* appellavit, obtinuitque mandatum de concedenda revisione.

Appellatio

Appellatio facta fuit coram Notario Hannecart, & acta fuere per Notarium Bleret reproducta, cui mandatum fuit, ut jura ad rationes Wetzlariam transmittendas afferentia consignaret. Consignatio illa non est facta, in suo vigore remanet appellatio, & Sententiæ carent executione.

X. Per edicta politicæ de datis 3tiæ Augusti 1706. & 5mæ Junii 1610. communitatibus Patriæ interdicta ex proventuum & bonorum communium est alienatio, absque expressa Principis licentia.

Incolæ ex Lessive consilio privato repræsentarunt, quod in contemptum prædictorum edictorum officiatu ex Rochefort, seductione & minis pagimagistros induxisset ad celebrationem cujusdam instrumenti sub vocabulo *conventio*, communitati admodum nocivi, in tantum quantum silvæ communes essent proprietatetenus Domino temporali concessæ, indeque concludebant, ut sua serenissima Eminentia in consilio suo privato dignaretur hujusmodi instrumenti, universitati admodum nocivi confirmationem denegare.

Auditis hinc inde partibus consilium privatum per suam apostillam de dato 20mæ Junii 1748. declaravit, se hic & nunc non reperire causas, nec rationes sufficientes ad confirmandum autoritate sua principali præensam illam transactionem, mandans nihilominus hinc inde partibus, ut dicerent, allegarentque ac respective ad causam constituerent.

Reciprocè constituerunt partes, imo & prorogarunt jurisdictionem in puncto videlicet, an Princeps confirmaret vel non, sic dictam transactionem, super quibus consilium per apostillam de 17mæ May 1749. pronunciavit, instrumentum de quo nullum fortiri posse effectum, reservato utrique parti jure, ipsi ante illius celebrationem competente.

Officiatus Rupefortensis moderari & mutari petiit dictam declaratoriam, sed per apostillam finalem de dato 3tiæ Augusti 1750. declaravit se non reperire causas, nec rationes ad moderandam præcedentem ordinationem, officiato in expensas condemnato.

Dominus *Pirquet* officiatu Rupefortensis ab hac apostilla ad sacra imperii tribunalia coram asserto Bosten Notario Cæsareo, simul & apostolico appellavit. Concessi fuerunt appellationis processus, imo & rationes decidendi per modum informatorialium sunt transmissæ.

XI. Cum familia *de Potesta* foret resaisita in quibusdam bonis immobilibus binorum diversorum reddituum titulo, quorum unus erat octo modiorum annui redditus, alter vero viginti sextariorum. Dominus advocatus *Cloes* dimidium sextarium tam ex uno, quam ex altero acquisivit, ac in conservationem hujus acquæstus saisiniam luit, fuitque in hypothecarum possessionem immisus, se se obligando ad recognitionem & solutionem quantum ad residuum, cumque ita non solvendo possedisset, prædictus Dominus *Cloes*, creditorem suum coram officialatu impetiit prætendens, quod creditor deberet ipsi producere quascumque solutio-

lutiones, chartas, litteras, necnon documenta prædictos annuos reditus concernentia, prætendens etiam habere rationem eorum, quæ soluta fuerant.

Cumque pariter prædictus Dominus advocatus Cloes materiam intricare voluisset, quamvis sponte ad solvendum se se obligasset, Dominus officialis perpendens lutionem illam locum obtinere in documentis paratam executionem desiderantibus, decrevit prædictorum redituum solutionem, idque provisionaliter, ac mediante cautione, ac ab hac provisionali nulla intervenit appellatio, sed in executione causam adhuc aliter intricare studuit præfatus Dominus advocatus Cloes.

Tandem visis actis hujusmodi provisionalis Sententiæ executio fuit decreta.

In executivis executivorum iterum deponenda fuerunt acta, unde evenit aliud decretum de procedendo ad executionem Sententiæ provisionalis, licet inappellabile foret illud decretum, tribus ex rationibus.

Prima, ex quo juxta Privilegia Cæsarea necesse fit, ut reditus controversus importet nonaginta florenos aureos, ubi reditus, de quibus controvertitur, longe a prædicta distent summa.

Secunda, attento quod solutio præfatorum redituum, non nisi provisionaliter & in forma interlocutoriæ notorie inappellabilis decreta fit.

Tertia, quia aliunde decretum de quo non nisi fit executivum alterius decreti executivi provisionalis Sententiæ, quoad partem in vim judicatam prolapsa, in executivis autem non appellatur.

Nihilominus tamen advocatus Cloes ab illa appellavit.

Dantur multifariæ aliæ appellationes notorie in Privilegia Cæsarea impingentes, quas ob temporis brevitatem in cumulum redigere non licuit, sed certissimum est, Dominos officialem, scabinos, & consilium ordinarium valituros immensum producere hujusmodi exemplorum numerum.

1755. XII. *Colen* contra *Speculo* appellatio ad suprema imperii archidicasteria in materia etiam revisionali interjecta.
1759. XIII. *Naviculatores Huenses* contra *Dumasii* appellatio ad Cæsarem in materia politiæ.
1760. XIV. Appellatio ad Cameram per ducem *Corswaremannum Looz* contra officialem de *Hasseltbrouck* coram Notario *Hannecart* interposita.
1761. XV. *Afferti de Rechain* & consortes contra consules *Densival* ad Cameram appellantes ab afferta consilii privati apostilla in materia politiæ lata.

XVI.

XVI. Appellatio ad Cameram per *Remigerum Closon* contra *Principem & Statuum deputatos* debitorem in denariis publicis, in sua arendatoris calceatarum platearum qualitate.

XVII. Laneatores *Trudonenses* ad Cæsarem appellantes a Sententia per Consilium privatum in *materia politiæ* lata coram Notario Hannecart.

XVIII. Thomas *Devaux* appellans contra Mariam Corneliam *Heyne* in *materia politiæ*.


XIX. Cum comes de *Renesse* in mense Augusti 1772. tres diversos 1772. affecutus fuisset ad tribunal viginti duum virale recursus contra agentes & mandatarios comitis *d'Isendorn a Blois*, isque postremus eandem etiam infecutus fuisset viam, tam contra comitem de *Renesse*, quam ejusdem mandatarios & agentes, pendente eodem anno 1772. & 1773. comes de *Renesse* præsumsit arripere & attentare novum ad sacram imperialem Cameram recursum, a qua sub & obreptitie obtinuit mandatum cassatorium & inhibitorium pænale, tribunali viginti duum virali die 28va Novembris 1772. insinuatum, quod mandatum ulteriori de parendo fuit subssecutum, tum tribunali viginti duum virali, tum Statuum revisoribus 23tia Septembris 1773. insinuato: visis hinc mandatis, tribunal viginti duum virale humillimas ad sacram imperialem Cameram transmisit informatoriales litteras, quibus manifestabatur, prædicta mandata non solum sub & obreptionis vitio laborare, sed & etiam esse Privilegiorum ab Augustis imperatoribus clementissime Patriæ Leodiensi concessorum expressæ dispositioni contraventoria ac notante Ferdinandino Privilegio de anno 1562. per ejus augustissimos Successores approbato & renovato, quodque cum hocce Privilegium, prout & cæteræ sacra imperiali Cameræ forent insinuata, considerationi & respectui fuissent habenda ad instar legis, a qua per Cameram imperialem recedere non licuisset, quemadmodum statutum est per Cæsareas constitutiones, ac inter alias, per pacem Westphaliam de anno 1648. art. 5. §. 5. per recessum imperii de anno 1654. §§. 3. & 123. per recessum visitationis extraordinariæ imperialis Cameræ de anno 1713. §. 9. nec non per reaccessionem Patriæ Leodiensis ad circulum Westphalicum de anno 1716. art. 12. & 13.

Quod haud obstantibus hujusmodi repræsentationibus humillimis per viginti duum virale tribunal Cameræ imperiali factis, hæc nihilominus ad extremum profecuta est mandatum de exequendo contra prædictum tribunal relaxando, die 17ma Novembris 1773. insinuatum, in cujus consequentiam prælaudata Camera ad aliam devenit extremitalem excitando Principes directores & convocatores laudabilis circuli Westphalici contra viginti duum virale tribunal, cui mandatum comminatorium de duodecima Decembris 1773. fuit insinuatum.

Hujusmodi profecto extremitates adversus tribunal supremum in limitibus jurisdictionis suæ se se continens, quodque plusquam a sæculo

ante Camerae imperialis institutionem, constitutum fuit ad bene esse totius Patriae, ad impediendas facti vias, nec non praeter & contra jus processus attentatorios dissimulare non possunt, nec per Principem, nec per Statuum ordines sapius desuper conquesti sunt, & nunc iterum amare valde conqueruntur coram praelaudata imperiali Camera, a qua spe fruuntur justae satisfactionis habendae; ast si contra omnem expectationem illam assequi non valeant, toti confidunt fore, ut eximii & perquam illustres Domini ad extraordinariam ejusdem Camerae imperialis visitationem nunc praepositi illam ipsis concedere haud dedignaturi sint.

Per Copiam conformem alteri copiae per Dominum Scohier Statuum Leodiensium advocatum mihi productae conformem, & versionem latinam in substantia consonam quod restor.




D. de Limborgh,
Caesareus immatriculatus Notarius mppria.





Quod haud obstantibus hujusmodi representationibus humilissimis per viginti duum virale tribunal Camerae imperiali factis, hinc nihilominus ad extremum processus est mandatum de expediendo contra praedictum tribunal relaxando, die 17mo Novembris 1777. infirmatum, in cuius consequentiam praetandata Camera ad aliam devenit extremitatem extendendo Principes directores & convocatores laudabilis circuitus Westphalici contra viginti duum virale tribunal, cui mandatum contra natorum de duodecima Decembris 1777. fuit infirmatum.


Hujusmodi processu extremitates adversus tribunal superius in similibus jurisdictionibus sine se conatus, quodque plusquam a seculo

I 2









Der Verfasser des Ungrundes kann nichts weniger, als ein teut-
scher Patriot seyn, da er nicht erkennet, daß es ein Hauptstück der ural-
ten deutschen Reichs- und Gerichts-Verfassung, ein Hauptstück der
uralten deutschen Freyheit, von je her gewesen ist, daß die deutschen
Fürstliche und Kayser zwar die Obrist-Richterliche Gewalt haben, jedoch
solche nicht nach ihrem Gutbefinden ausüben, sondern nach denen mehre-
ren Stimmen derer Beyfuger des Gerichts den Schluß fassen und den
Richterlichen Ausspruch thun.

Er schreibt in denen Prolegomenis seines Ungrundes p. 10.

. 22.:

„Holderrieder (in D. de Principiis interpretat. legum adaequatis
„Sect. 2. §. 13.) bemerket: Qui ignorat, quaenam inter hosce (Im-
„peratorem et Status) intercedat relatio, prauus legum harum
„existet explanator. Errarunt hac in parte, an forsan ex mali-
„tia quoad Imperatorem in pessimam interpretati sunt par-
„raeterea nimis acerbo et prope famoso vsu sunt scriben-
„e.

Nachfolger haben diese nicht in unsern Tagen?

Inselben er, der Ungrund-Verfasser, durch seine Lehre von
der Nothwendigkeit des Mitvotirens derer Kayserlichen
Deputirten bey Reichs-Deputationen sich gefellet, und in dieser So-
m höheren Grade sich qualificiret habe, durch die bittere Schreibe-
re diejenigen, welche jener Lehre widersprechen, anzuschwärzen
ob sie Se. Kayserl. Majestät nur zu einem stummen Zeu-
gen machen sich erkühneten u. solches hat er wohl nicht bedacht.

Man kan ihm aber jenen Kayserlichen Commissarium und Reichs-
führer, der ihm diesen Spiegel vorhalte, und zeige, daß er
sich zu einem Hippolitho und Sophisten zu machen
(ich aus Unwissenheit) das Schicksaal gehabt habe,

in Repraesentatione Maiestatis Imperatoriae Part. I.
Cap. XIII. §. 12. n. 62. p. 179:

Hippolithus Sophistam agit, dum primo Regimento ae-
conuentibus Deputatorum certam formam aecommodat,
in illis Imperator simplici tantum voto concurrerit, hodie-
necurrat, maioribus autem cedere debeat etc. Ex dictis
ergo, quod Imperator suffragiorum partem sibi non vendicet,
vera pars sit, quae de grauissimis summi Imperii negotiis
potest, et cui status exponunt, quid suis conclusere
debeat.

§. XXXIII.

Wenn Se. Kayserliche Majt. nach dem Reichs-Friedenschluß: Von denen zu
einstimmigsten Vorgänge Kayser Joseph des Ersten, Ihro Kay- gewissenhaften
Majestät den Revisions-Gericht von dem Reich bevollmäch- Revision der
tigten Ständen und ihren Subdelegatis erteilen: So kann Kayserlichen und
Reichs-Cammer
mit

M 2

mit

